

zu Eubestwalb, Freyherr Johann Ferdinandt von Nouath. Nos itaque humillima huiusmodi supplicatione ac simul etiam demissa Fidelium nostrorum Reuerendi Sebastiani Glavinich, Segniensis et Modrusiensis Ecclesiarum canonice unitarum Episcopi, et Egregii Georgii Nagy, honorum nostrorum Fiscalium administratoris, pro parte supra fatorum Incolarum et Inhabitorum totiusque Comunitatis supradicti presidii Ogulinensis intercessionem eatenus nostrae facta modoque quo supra porecta Maiestati Regiae benigniter exaudita clementer et admissa, praenuncupatas ternas privilegiales litteras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspitione carentes, praesentibus litteris Nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, puncta, clausulas et articulos, eatenus quatenus eadem rite et legitime existunt emanata iuribusque eorundem veritas suffragatur, ratos gratos et accepta habentes, benigne approbavimus, roboravimus, ratificavimus et pro saepe fati Incolis et praesidiariis Ogulinensibus, ipsorumque posteris et successoribus (quos omnino tam in praedicta nobilitari praerogativa, quam et aliis Juribus, prerogativis, exemptionibus et Immunitatibus in annotatis litteris privilegialibus uberius denotatis, expressis, saluos, indemnes, ac imperturbatos esse volumus ac decrevimus) perpetuo valituros, gratiose confirmavimus, omnibusque et singulis inibi contentis nostrum Regium Consensum praebuimus. Imo approbamus, roboramus, ratificamus, confirmamus, Consensumque Nostrum regium benevolum pariter praebemus et assensum — saluis iuribus alienis, praesertim vero fisci nostri Regii, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti comunitarum, vigore et testimonio litterarum mediante. Datum per manus fidelis nostri dilecti Reverendi Blasii Jaklin, Episcopi Nitriensis et Comitatus eiusdem Supremi ac perpetui Comititis, Consilarii et Hungarici Aulici Cancellarii nostri. In Civitate nostra Vienna Austriae die octava mensis Augusti 1692., regnorum nostrorum Romani trigesimo quinto, Hungariae et reliquorum trigessimio octavo, Bohemiae vero anno trigesimo sexto.

Leopoldus m. p.

Blasius Jaklin.

Episcopus Nitriensis.

Stephanus Tenturits.

Ex transumptis mense Collectionis Diplomatum.